militię recenseret. Et tamen si roma insuper incensa non esset; Patentem galli urbem penetrant. trucidant
rigentes simulacrorum modo in suis sedibus senatores. eosque incendio domorum crematos. lapsu culminum
suorum sepeliunt. Universam reliquam iuventutem quam constat vix mille hominum tunc fuisse. in arce capito
lini montis tunc latitantem obsidione concludunt. Ibique infelices reliquias. fame. peste. desperatione
formidine terrent (vel terunt). subigunt. vendunt. Nam mille libris auri discessionis pretium paciscuntur. non
quo apud gallos roma parvi nominis fieret. sed quo illam sic iam ante detriverint ut amplius
tunc valere non posset; Exeuntibus gallis remanserat in illo quondam urbis ambitu. informium rui
narum obscena congeries. et undique per inpedita errantium. et inter sua ignotorum offensę vocis imago
respondens. trepidos auditus suspendebat. animos quatiebat horror. silentia ipsa terre
bant. siquidem materia pavoris est raritas vocis in spatiosis. Hinc illis mutare sedes. aliud in
colere oppidum. alterum etiam censeri nomine cogitatum placitumque ac temptatum est. En tempora
quorum conparatione ponderantur presentia. en quibus recordatio suspirat. en quę incutiunt de electa
vel potius de neglecta religione poenitentiam. Revera pares sunt et conferuntur inter se hę duę captivi
tates. illa sex mensibus deseviens. et tribus diebus ista transcurrens. Galli extincto populo. urbe deleta.
ipsum quoque romanum nomen extremis cineribus persequentes. et gothi relicta intentione praedandi
ad confugia salutis. id est sanctorum locorum agmina ignara cogentes. Ibi vix quemquam inventum senatorem
qui vel absens evaserit. hic vix quemquam requiri. qui forte ut latens perierit. Recte sane conpara
vi hunc fuisse ibi servatorum numerum. qui hic fuerit perditorum; Plane quod re proditur. et fatendum
est in hac clade presenti plus deum seuisse. homines minus. cum ipse agendo quod illi non implevissent.
cur eos miserit demonstravit. Quippe cum supra humanas vires esset incendere aeneas trabes.
et subruere magnarum moles structurarum. ictu fulminum forum cum imaginibus variis (vel vanis) quę super
stitione miserabili vel deum vel hominem mentiuntur abiectum est. Horumque omnium abominamentorum
quod inmissa per hostem flamma non adiit. missus e celo ignis evertit. Et quoniam uber dicendi materia est.

Quę nequaquam hoc libro concludi potest. hic presentis volu
minis finis sit. ut in subsequentibus cetera persequamur.

FINIT LIB SEC. INCIPIT LIB TERTIVS.

ET SVPERIORE
IAM LIBRO CON
TESTATVS SVM ET
NVNC NECESSARIE REPETO. SECUNDUM PRECEPTUM TUUM
DE ANTEACTIS CONFLICTATIONIBVS SECVLI
NEC OMNIA. nec per omnia posse quę gesta. et sicut gesta sunt explicari. quoniam magna atque innumera

[illegible]

© HAB http://diglib.hab.de/mss/80-gud-lat/start.htm?image=00036

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen

Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/hab_mss80-gud-lat/0036

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel Gray Scale